

## PARS II

### DE ECCLESIAE CONSTITUTIONE HIERARCHICA DE SUPREMA ECCLESIAE AUCTORITATE

#### *De romano Pontifice deque Collegio episcoporum (330-341)*

Romanus Pontifex et Episcopi, ut successores Apostolorum, constituunt unicum Collegium in regimine Ecclesiae et eiusdem praepositi sunt supremae potestati.

Romanus Pontifex, beati Petri in primatu successor, habet non solum primatum honoris sed supremam, plenam, ordinariam immediatamque potestatem in universam Ecclesiam tum in rebus quae ad finem et mores tum in iis quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent.

Praeter primatum in Universam Ecclesiam caput est episcoporum Collegii, Vicarius Christi et Pastor supremus.

Idem Pontifex plenam et supremam in Ecclesia potestatem obtinet legitima electione ab ipso acceptata una cum episcopali consecratione.

Peracta electione in Concistorio et secundum normas particulares, exquiritur consensus electi qui renuntiare libere potest et rite manifestare.

In explendo munere supremi Ecclesiae Pastoris, Romanus Pontifex semper coniunctus est cum episcoporum Collegio sed jus habet – congruenter necessitatibus – determinare modum sive personalem sive collegialem exercendi muneris. Unde ad hoc eius adiutores sunt:

Synodus episcoporum, Patres Cardinales, Curia Romana, Legati vel aliae personae, iuxta normas jure definitas.

Contra acta Romani Pontificis non datur appellatio neque recursus.

Sede vacante aut impedita nihil in Ecclesiae regimine innovetur.

Collegium episcoporum, cuius caput est Romanus Pontifex, plenam et supremam potestatem in universam Ecclesiam exercet in Concilio Oecumenico quod definitur congregatio legitima omnium Episcoporum et aliorum Praelatorum a Romano Pontifice convocata, quae – ipso approbante – de negotiis universalis Ecclesiae deliberat et decernit.

Ad Romanum Pontificem pertinet Concilium oecumenicum convocare, argumenta tractare atque ordinem determinare, dirigere, transferre, suspendere et dissolvere.

Decreta Concilii vim definitivam obligandi non habent nisi a Romano Pontifice fuerint confirmata et eius iussu promulgata.

Ad Concilium insuper vocari possunt et qui non insigniti sunt episcopali dignitate.

Sede vacante Concilium ipso jure intermittitur.

ANNOTATIO: Dignum est intelligere paritatem omnium Episcoporum in regimine Ecclesiae universalis, qui in Concilio oecumenico aequo jure et aequali modo coniuncti sunt supremae potestati cum Romano Pontifice, quamquam ornato primato super omnes Ecclesias particulares.

### *De Synodo episcoporum (342-348)*

Synodus est congregatio Episcoporum qui, selecti ex diversis regionibus ecclesiasticis, temporibus statutis conveniunt ad agendum de iis quae ad particulares Ecclesiae universalis christifideliumque necessitates vel utilitates referunt. Votum tantum consultivum habet et operam adiutricem Romano Pontifici praestat, cuius directe auctoritati subest.

Romanus Pontifex Synodum convocat, sodalium electionem confirmat, argumenta pertractanda statuit, rerum agendarum ordinem definit, ipsam congregationem concludit, transfert, suspendit dissolvitque.

In Synodo, quae sessiones ordinarias, extraordinarias specialesque habet, vocandi sunt: Episcopi pro singulis coetibus Conferentiis electi, alii vi eiusdem juris particularis deputati, alii quoque a Romano Pontifice nominati.

Synodo a Romano Pontifice conclusa, munus sodalibus commissum explicit.

Secretaria generalis Synodum administrat.

ANNOTATIO: Figura Synodi Episcoporum est nova in Codice. Hoc institutum mere ecclesiasticum consultationis opportunae et temporanae differt a Collegio Episcoporum quod ex Christi voluntate oritur.

### *De sanctae romanae Ecclesiae Cardinalibus (349-359)*

Cardinales primum gradum inter clerum occupant et a Romano Pontifice libere electi sunt, ut in regimine Ecclesiae suis consiliis et operis assidue eum adiuvent.

Sunt ecclesiasticae institutiones et dividuntur in tres ordines: episcopalem, presbyteralem et diaconalem.

Constituunt coetum qui sacrum Collegium vocatur et Patriarchas orientales adscribit.

Cardinales munus praestant tum in Concistorio tum praesertim in Congregationibus et aliquando in Legationibus.

Concistoria habentur ordinaria vel publica aut extraordinaria; in Concistoria ordinaria vel publica praeter Cardinales admittuntur Praelati, Legati Societatum civilium aliive ad illa invitati.

Cardinales debent esse saltem sacerdotes, doctrina pietate ac rerum agendarum prudentia egregie praestantes. Qui nondum sunt Episcopi consecrationem episcopalem recipere debent.

Ad promotionem Cardinalium requiritur voluntas expressa Romani Pontificis, qui in Concistorio nomen publicat, sed ipse nomen potest in pectore reservare ut postea aliquando publicet.

Cardinalibus duplex datur optio post secutam in Collegio vacationem transire ad alium titulum eiusdem ordinis aut ad titulum alterius ordinis.

Praeest sacro Collegio Cardinalis decanus qui aliis praeminet ut primus inter pares; ei subdecanus succedit.

In omnibus Dicasteriis Romanae Curiae, et Civitatis Vaticanae Cardinales principem locum tenent usque ad septuagesimum quintum annum.

Cardinalis protodiaconus pallia Metropolitae imponit et nomen electi Pontificis populo annuntiat.

Ad ordinem episcopalem pertinent Cardinales dioecesibus suburbicariis praepositi.

Sede vacante, praecipuum jus et officium Cardinalium est novum Pontificem eligere iuxta normas particulares.

ANNOTATIO: Non praefinitur numerus Cardinalium ut Codex obrogatus statuebat.

### *De Curia romana (360-361)*

Romanus Pontifex in exercenda suprema atque universali sua potestate Curia Romana utitur, quae constat Secretaria Status, Consilio pro publicis negotiis, Congregationibus, Tribunalibus et aliis Officiis. Institutiones omnes quae procedunt et munus exercent secundum proprias leges peculiare et generice nomine veniunt Sedis Apostolicae vel Sanctae Sedis.

Eorum iurisdictio et constitutio accurate determinatae sunt in Const. ap. «Regimini Ecclesiae universae».

ANNOTATIO: Novus Codex distinctionem Dicasteriorum non habet, sed praecipue includet pro negotiis extraordinariis Secretariam Status et Consilium pro publicis Ecclesiae negotiis.



### *De romani Pontificis Legatis (362-367)*

Ad gerenda negotia ecclesiastica jus est Romano Pontifici Legatos mittendi sive in quamlibet Ecclesiam particularem sive in Civitates aut apud publicas Auctoritates, qui res gerunt Eius nomine et mandato cum vel sine iurisdictione.

Ambitus Legatorum potestatis ex ipso mandato determinatur et officium non cessat vacante Sede Apostolica; cessat autem expleto mandato, revocatione et renuntiatione.

Attenta peculiari indole Legati muneris, sedes Legationis a potestate regiminis Ordinarii loci exempta est.

ANNOTATIO: Intelligitur Romani Pontificis potestas Legatos mittere apud Ecclesias particulares in variis regionibus ad colligendas informationes de statu ecclesiastico, praeterquam quod explicare operam publicam cum gubernatoribus civilibus. Nullum usum in Codice novo habet discrimen traditum inter «Nuntios», «Internuntios» et «Delegatos Apostolicos».

### *De Ecclesiis particularibus (368-374)*

In iure nomine Ecclesiae particularis venit quaecumque Dioecesis, Praelatura territorialis, Abbatia territorialis, Vicariatus, Praefectura et Administratio apostolica stabiliter erecta.

Dioecesis est territorium cui Episcopus tamquam proprius et ordinarius pastor praeficitur.

Abbatia et Praelatura sunt territoria ab Dioecesi separata, quarum clerus et populus Abbati et Praelato regularibus subduntur.

Vicariatus et Praefectura apostolica sunt divisiones territoriales potissimum in regionibus missionum, quibus Vicarius et Praefectus nomine Romani Pontificis praesunt.

Administratio apostolica est communitas quaedam fidelium, cui Administrator apostolicus praeficitur ob speciales aut graves rationes.

Plerumque Ecclesia particularis territorium cum populo determinato et proprio Superiore habet, attamen in eodem territorio erigi

possunt Ecclesiae particulares ritu fidelium aliave simili ratione distinctae, ubi utilitas id suadeat.

Jus erigendi Ecclesias particulares Romano Pontifici reservatum est.

Quaelibet dioecesis aliave Ecclesia particularis dividatur in distinctas partes seu paroecias. Paroeciae iterum inter se uniundae sunt et districtum ecclesiasticum constituunt, qui Vicariatus foraneus vocatur.

ANNOTATIO: Notantur: peculiaris positio omnium Ecclesiarum particularium in comparatione Sedis Apostolicae; nova nominatio Praelaturae nullius; denique erectio Ecclesiarum particularium in eodem territorio dioecesano.

### *De Episcopis in genere (375-380)*

Plenitudine sacerdotii aucti, Episcopi ex divina institutione Apostolorum successores sunt, quibus competit potestas magisterii, ministerii et iurisdictionis. Vi ordinationis plenitudinem potestatis ordinis possident et officium sanctificandi, docendi regendique habent in hierarchica communione cum Romano Pontifice et Collegii membris.

Episcopi vocantur dioecesani, quibus competit potestas ad regendam Ecclesiam particularem, et titulares, qui antiquae sublatae sedis titulum retinent ac iurisdictionem non habent.

Episcopos libere nominat Romanus Pontifex aut legitime electos confirmat.

Saltem triennis Episcopi provinciae ecclesiasticae vel episcoporum Conferentiae elenchum componant presbyterorum, etiam solidarium Institutorum vitae consecratae, ad episcopatum aptiorum eumque Apostolicae Sedi transmittant; firmo manente jure uniuscuiusque Episcopi nomina presbyterorum Sedi Apostolicae postulare.

Nisi aliter legitime statutum fuerit, quoties nominandus est Episcopus dioecesanus aut coadiutor, Legatus pontificius Apostolicae Sedi proponit una cum suo voto elenchum trium presbyterorum,

auditis privatim Auctoritatibus et personis provinciae ecclesiasticae quarum interest.

Quoad provisionem Episcopi auxiliarii, dissimilis forma habetur et Episcopus dioecesanus Apostolicae Sedi elenchum trium saltem presbyterorum proponet.

Dotes in futuro Episcopo requiruntur:

- bona existimatio;
- aetas saltem triginta quinque annorum;
- presbyteratus saltem a quinquennio recepto;
- proclivitas ad bonos mores, pietatem, zelum animarum et prudentiam;
- laurea doctoris vel saltem licentia in sacra Scriptura aut in sacra Theologia aut in Jure canonico, vel saltem earundem disciplinarum vere peritia.

Utrumque de candidati idoneitate iudicium definitivum ad Apostolicam Sedem pertinet.

Promotus intra tres menses a recepta littera apostolica consecrationem suscipere debet et quidem antequam capiat officii possessionem; pariter professionem fidei et iusiurandum fidelitatis erga Sedem Apostolicam emittere debet.

ANNOTATIO: Modus diversus statuitur in Episcoporum nominatione et maior annorum aetas requiritur candidato promovendo.

### *De Episcopis dioecesanis (381-402)*

Episcopi dioecesani et qui tales in jure aequiparantur ordinarii et immediati pastores sunt.

Eorum potestas est ordinaria seu obtenta vi officii ipso jure divino ecclesiasticoque; est quoque immediata ita ut potestas directe in singulos subditos conferatur.

Potestatem non exercent in causis jure aut Summi Pontificis decreto reservatis supremae Auctoritati ecclesiasticae.

Validus potestatis usus ex parte Episcopi dioecesani requirit cap-



tam dioecesis possessionem, quae fit per litterae apostolicae ostensionem per se vel procuratorem infra quattuor menses a recepta littera aut intra duos menses si iam consecratus sit.

A capta vero possessione Episcopus dioecesanus seu residentialis:

- humanitate et caritate se gerat erga christifideles et eos qui in plena communione cum Ecclesia catholica non sint;
- prosequatur presbyteros, quos tamquam adiutores et consiliarios audiatur; curet eorum iura et honestam sustentationem;
- maxime foveat vocationes ad diversa ministeria;
- tenetur proponere et illustrare fidelibus veritates fidei;
- firmiter tueatur integritatem et unitatem fidei;
- sit exemplum sanctitatis in caritate, humilitate et vitae simplicitate;
- tenetur statutis diebus Missam pro populo ei commisso celebrare et applicare.

Episcopus dioecesanus gubernat tum in spiritualibus tum in temporalibus cum potestate legislativa, executiva et iudiciaria ad normam juris. Potestas executiva et iudicialis exercere potest per Vicarium generalem vel episcopalem aut iudicalem.

Foveat praeterea varias apostolatus rationes.

Episcopus dioecesanus residere debet infra fines dioecesis; singulis annis abesse potest non ultra mensem. Quod si ultra sex menses illegitime abfuerit, de eius absentia Metropolita provinciae ecclesiasticae aut antiquior Episcopus suffraganeus Sedem Apostolicam certiorrem faciat.

Sedulam quoque curam debet gerere totius dioecesis et ideo visitatio facienda est quotannis aut saltem intra quinquennium.

Visitare potest Institutos religiosorum juris pontificii in casibus tantum jure expressis.

Denique Episcopi, qui septuagesimum quintum annum expleverint aut ob infirmam valetudinem aliamve gravem causam officio adimplendo apti non sint, renuntiationem exhibeant Summo Pontifici, servata digna sustentatione.



### *De Episcopis coadiutoribus et auxiliaribus (403-411)*

Episcopi distinguuntur ratione sedis, officii et dependentiae.

Ratione sedis habentur Episcopi residentiales et titulares.

Ratione officii sunt coadiutores et auxiliares.

Ratione dependentiae habentur metropolitani et suffraganei.

Episcopi suffraganei regunt dioeceses pertinentes ad provinciam ecclesiasticam, cui praeest Metropolita.

Episcopus residentialis seu dioecesanus, qui distinguitur ab titolare retinente tantum titulum sedis antiquae et ratione status esse potest saecularis vel regularis, petere potest unum vel plures Episcopos auxiliares cum pastorales dioecesis necessitates id suadeant. Attamen auxiliaris residentialem adiuvat sine iure successionis, contra coadiutor cum iure successionis adiuvat.

Coadiutor et auxiliaris Episcopum dioecesanum in universo dioecesis regimine adstant et Vicarii generales constituuntur; munera exercere debent uno consensu cum ipso dioecesano.

Sede vacante Episcopus coadiutor statim fit Ordinarius dioecesis; auxiliaris quidem omnes et solas potestates facultatesque servat quibus sede plena gaudebat.

Coadiutor et auxiliaris tenentur ad residentiam eodem modo ac Episcopi dioecesani; utrisque applicantur praescripta juris quoad renuntiationem ab officio ex parte Episcopi residentialis.

ANNOTATIO: Desit species dioecesis «exemptae».

### *De sede impedita (412-415)*

Sedes episcopalis impedita est quando iurisdictio Praesulis non cessat sed ab eodem physice exerceri non potest per captivitatem, relegationem, exsilium vel inhabilitatem, quoties nec per litteras cum dioecesanis communicare possit.

In hoc casu regimen dioecesis transit ad Episcopum coadiutorem aut – eo deficiente – ad Episcopum auxiliarem aut Vicarium generalem

vel episcopalem aliumve sacerdotem, servato personarum ordine statuto in elencho ab Episcopo dioecesano composito et renovato saltem triennis.

Sede episcopali impedita propter poenam ecclesiasticam in Episcopum statutam, Metropolita vel antiquior Suffraganeus ad Sedem Apostolicam illico recurrit ut Ipsa provideat. Quicumque iuxta praedictos casus regimen dioecesis suscepit potestate Administratoris dioecesani gaudet.

### *De sede vacante (416-430)*

Sedes episcopalis vacat Episcopi translatione, renuntiatione, privatione intimata et morte.

Si transferatur, Episcopus intra duos menses novae dioecesis canonicam possessionem assumere debet et interim potestatem Administratoris dioecesani obtinet in eadem quae plene vacat.

Nisi a Sancta Sede provisum fuerit, regimen dioecesis vacantis devolvitur ad Episcopum auxiliarem aut – eo deficiente – ad Collegium consultorum.

Intra octiduum ab accepta notitia vacationis Episcopus auxiliaris aut Collegium providere debet ad deputandum Administratorem dioecesanum, eligendum a Collegio consultorum.

Si intra praescriptum tempus Episcopus auxiliaris aut Collegium non deputaverit, deputatio ad Metropolitam devolvitur aut antiquiorem Episcopum suffraganeum.

De vacatione sede per Episcopi mortem Episcopus auxiliaris aut Collegium Sedem Apostolicam certiolem faciat.

Administrator ne simul sit oeconomus et praescriptas qualitates possideat.

Quia administratio sedis vacantis transitoria est, ideo nihil innovetur.

Officium Administratoris cessat per remotionem Sanctae Sedi reservatam et initam a novo Episcopo possessionem.

ANNOTATIO: Nunc, munus eligendi Administratorem devolvitur ad Collegium consultorum, potius quam Capitulum cathedralem.

### *De Provinciis ecclesiasticis et de Regionibus ecclesiasticis (431-434)*

Ad apte promovendas et fovendas actiones pastorales et relationes inter dioeceses viciniore, Ecclesiae particulares componuntur in provincias ecclesiasticas certo territorio circumscriptas.

In provincia ecclesiastica auctoritate gaudet Concilium provinciale atque Metropolita, qui eidem praest.

Provinciae constitutio aut suppressio aut innovatio supremae Ecclesiae Auctoritati pertinet.

In nationibus ubi adsunt numerosiores Ecclesiae particulares, Provinciae ecclesiasticae a Sancta Sede in Regiones ecclesiasticas coniungi possunt, si utilitas id suadeat et episcoporum Conferentia roget.

ANNOTATIO: Inter divisiones territoriales in Ecclesia vigentes Regiones ecclesiasticae oriuntur.

### *De Metropolitibus (435-438)*

Metropolita jus habet vigilandi ut fides et ecclesiastica disciplina in tota Provincia ecclesiastica sancte servantur.

Metropolita autem habet jus:

- visitandi canonice dioeceses suffraganeas, si visitationem Episcopi suffraganei neglexerint;
- deputandi Administratorem dioecesanum, nisi provisum fuerit;
- perficiendi munera a Sancta Sede commissa.

Praecipuum insigne metropoliticum est pallium.

Patriarchae et Primatis titulus nullam regiminis potestatem secumfert.



### *De Conciliis particularibus (439-446)*

Ad deliberandum et decernendum de rebus ecclesiasticis Concilium Provinciae vel Regionis provinciale vel plenarium celebretur, necessitate et utilitate recurrentibus.

Concilium provinciale est conventus Episcoporum alicuius Provinciae ecclesiasticae a Metropolita convocatus.

Concilium plenarium est conventus Episcoporum plurium Provinciarum cum venia Sedis Apostolicae coactus sub Episcopi dioecesanī electi magisterio.

Cum voto deliberativo ad Concilia particularia intervenire debent: Episcopi dioecesanī, coadiutores, auxiliares et titulares qui peculiare munus tenent ab Apostolica Sede commissum, necnon Episcopi titulares in territorio degentes.

Cum suffragio consultivo vocantur: Vicarii generales et episcopales, Superiores Institutorum religiosorum et Societatum consecratarum, Rectores universitatum ecclesiasticarum, Decani facultatum Theologiae et Juris canonici, Rectores Seminariorum maiorum qui in territorio domicilium habent, presbyteri alique christifideles, Capitulo cathedralia itemque Consilia presbyteralia et pastoralia.

Competentia Concilii particularis versatur circa disciplinam pastoraalem particulatimque ecclesiasticam et potestatem administrativam ac legislativam comprehendit.

Omnia eius acta et decreta ante promulgationem mittenda sunt ad Sanctam Sedem ut recognoscantur.

### *De episcoporum Conferentiis (447-459)*

Episcoporum Conferentia est coetus Episcoporum alicuius nationis vel certi territorii, apta ad officium pastorale fructuosum et efficace gerendum inter Episcopos coniunctos.

Eius momentum clare apparet in Concilio Vaticano II.

Officium Conferentiae, quae personalitatem iuridicam habet, potissimum et proprie consultorium est.

Supremae Ecclesiae Auctoritatis est Conferentias erigere, suppressere aut innovare.

Apud eam vocandi sunt et convenire debent Episcopi dioecesani eiusque iure aequiparati, Episcopi coadiutores, auxiliares titularesque peculiari munere ornati, Ordinarii quoque alterius ritus qui tamen votum tantum consultorium habent.

Conferentia sua statuta conficit, praesidem eligit, semel saltem singulis annis conventum plenarium habet.

Decreta Conferentiae proferri debent per duas saltem ex tribus partibus suffragiorum Praesulum et recognita ab Apostolica Sede per promulgationem vim obtinent.

Consilium episcoporum stabile et Secretaria generalis partem in Conferentia habent.

ANNOTATIO: Ad bonum religionis promovendum Codex stabiles Conferentias iubet. Novum Institutum iuridicum est.

### *De Synodo dioecesana (460-468)*

Synodus dioecesana definitur legitima congregatio sacerdotum aliorumque christifidelium Ecclesiae particularis, quam solus Episcopus dioecesanus, praeses, ad necessitatem aut vere utilitatem fidei, cleri populique audito Consilio presbyterali convocat.

Ad Synodum vocandi sunt: Episcopi coadiutores ac auxiliares, Vicarii generales et episcopales, Vicarius iudicialis, canonici Ecclesiae cathedralis, membra Consilii presbyteralis, christifideles laici a Consilio pastoralis deputati, rector Seminarii, Vicarii foranei, unus saltem presbyter ex unoquoque vicariatu foraneo eligendus ab omnibus qui curam animarum inibi habeant, Superiores Religionis clericalis et Societatum vitae apostolicae qui in dioecesi commorantur, alique omnes ab Episcopo vocati uti etiam observatores.

Leges Synodi a sola Episcopi auctoritate vim suam accipiunt.

Si personaliter synodales adesse nequeant, eorum procuratorem mittere non licet.

Sede vacante vel impedita, Synodus ipso jure intermittitur.

Episcopus dioecesanus qui succedit ipsam continuare aut extintam constituere potest.

ANNOTATIO: Intelligitur christifidelium laicorum participatio et temporis decennalis abrogatio.

### *De Curia dioecesana (469-494)*

Complexus institutorum et illarum personarum quae Episcopo operam praestant in regimine pastoralis et administrativo totius dioecesis Curia dioecesana dicitur.

Omnes quibus Curia dioecesana constat ab Episcopo loci nominantur et iuramentum de adimplendo munere fideliter prudenterque emittere debent.

Omnia Curiae negotia ab Episcopo coordinentur etiam per Moderatorem, qui Vicarius generalis esse potest.

Ad Curiam dioecesanam pertinent; Vicarius generalis, Vicarii episcopales, Cancellarius, Officiales seu Notarii, Consilium a rebus oeconomicis, Oeconomus.

Vicarius generalis, qui primum locum in Curia obtinet, potestatem executivam ordinariam in universa dioecesi gerit et ad ponendos omnes actus administrativos Episcopum dioecesanum adiuvat.

Vicario episcopali, sive vicariis episcopalibus, eadem potestas vicarii generalis competit sed in determinata territorii parte aut in certo negotiorum genere aut quoad fideles determinati ritus vel certi personarum coetus.

Officium vicariorum per mandati expletationem aut renuntiationem aut revocationem aut sedis episcopalis vacationem aut iurisdictionis Episcopi suspensionem cessat.

Cancellarius acta Curiae redigit et expedit, in archivio acta custodit et chronice disponit. Dari ei potest adiutor nomine vice-cancellarii.

Praeter cancellarium ab Episcopo constitui possunt alii officiales seu notarii. Cancellarius et notarii libere ab Episcopo dioecesano removeri possunt.



Omnia documenta, quae dioecesim vel paroecias respiciunt, maxima cura custodiri debent in archivo quod in qualibet Curia dioecesana duplex erigatur: commune et secretum.

Consilium a rebus oeconomicis constat tribus saltem christifidelibus in re oeconomica necnon in iure civili peritis, ab Episcopo praeside nominatis ad quinquennium. Praeter munera in Codice ipsis commissa Consilium quotannis erogationes impensasque praevidet pro universo regimine dioecesis, tabulas accepti et expensi probat.

Oeconomus bona dioecesis administrat et expensas facit. Ad quinquennium nominetur ab Episcopo, audito Collegio consultorum et Consilio a rebus oeconomicis.

ANNOTATIO: Officiales iudiciales ad Curiam non pertinent; contra Codex in ipsa includit oeconomum et Consilium a rebus oeconomicis pro universae dioecesis regimine nummario.

### *De Consilio presbyterali et de Collegio consultorum (495-502)*

Pro Ecclesiis particularibus duo nova Instituta Codex Ioannineum spectat: Consilium presbyterale et Collegium consultorum.

Consilium presbyterale est collegium clericorum ut ad normam sacrorum canonum Episcopum dioecesanum in regimine dioecesis tamquam eius senatus et consilium adiuvet.

Ad designationem quod attinet, dimidia circiter pars libere a clericis dioecesanis eligitur. Aliqui sacerdotes esse debent membra ratione officii nata. Aliquos Episcopus libere nominat.

Huius statuta ab Episcopo dioecesano approbata sunt, attentis normis ex parte Conferentiae episcoporum prolatis.

Consilium voto tantum consultivo gaudet et consensus esse potest arbitrarius aut necessarius.

Membra designantur ad tempus determinatum in statutis, ita ut intra quinquennium renoventur.

Sede vacante, Consilium cessat ipsiusque munera a Collegio consultorum implentur.

Collegium consultorum inter membra Consilii presbyteralis ad quinquennium libere ab Episcopo dioecesano numero non minore sex nec maiore quam duodecim nominatur.

Munera Collegii in quo Episcopus aut ad interim sacerdos senex praeest jure determinata sunt et ab episcoporum Conferentia Capitulo cathedrali committi possunt.

### *De canonicorum Capitulis (503-510)*

Capitulum canonicorum, quod dividitur in cathedrale et collegiale prout erectum est in Ecclesia cathedrali vel collegiata, est collegium sacerdotum institutum ut in Ecclesia cathedrali solemniorem cultum exhibeat et munera jure aut Episcopo ei commissa adimpleat.

Erectio, innovatio, suppressio Sedi Apostolicae reservantur.

Jus et obligatio uniuscuiusque Capituli est condere statuta ab Episcopo approbata, quae definiant cultum peragendum necnon ministerium persolvendum, determinent numerum canonicorum, decernant conventum in quibus negotia agantur, instituant dignitates, distinguant canonicos titulares seu praebentarios et suprannumerarios et honorarios.

Audito Capitulo, omnes canonicos Episcopus confert. Eiusdem Episcopi est confirmare eum qui Capitulo praeest, ab ipso electum.

In Ecclesiis, quae simul paroeciales et capitulares sint, paroecia a Capitulo separetur cum certas statutas normas quibus officia pastoralia et munera debita componantur.

ANNOTATIO: Codicis benedictini respectu, Capituli munera debilitata sunt et peragunt tantum ad cultum divinum necnon ad ministerium persolvendum in Ecclesia cathedrali. Neglectis dignitatibus, praeest Capitulo qui inter canonicos electus et confirmatus est.

### *De Consilio pastorali (511-514)*

Novum Institutum Codicis est Consilium pastorale, quod sub Episcopi auctoritate investigat et perpendit de rebus pastoralibus.

Constitutum in dioecesi ad tempus iuxta praescripta statutorum et quatenus pastoralia adiuncta suadent, Consilium constat tum clericis tum laicis modo determinato designatis.

Voto tantum consultivo gaudet; sede vacante, cessat; saltem semel in anno convocatur.

### *De paroecis. De Parochis. De Vicariis paroecialibus (515-552)*

Paroecia vocatur communitas omnium christifidelium quae stabiliter in praefinito territorio Ecclesiae particularis constituta est et cui praeest sacerdos cum ordinaria potestate ac cura animarum sub Episcopi loci auctoritate gerenda.

Ius instituendi aut supprimendi aut innovandi paroecias, audito Consilio presbyterali, Episcopo loci competit.

Erectio seu institutio novae paroeciae, quae ipso jure gaudet iuridica personalitate, fit per creationem, per divisionem, per unionem.

Parochus est proprius pastor paroeciae et eius officium pertinere potest ad clericos saeculares aut ad clericos religiosos.

Generatim requiritur ut clericus promovendus sit praeditus bonis moribus, doctrina, animarum zelo, prudentia aliisque virtutibus et qualitatibus. Iudicium de idoneitate semper competit in Episcopo loci cui jus nominandi etiam per examen spectat.

Peropportune parochus stabilitate gaudet sed – si per decretum episcoporum Conferentiae admissum sit – Episcopus dioecesanus eum nominare potest ad certum tempus.

Jura tum spiritualia tum temporalia parochus obtinet a momento captae possessionis et ratione officii peragere tenetur singulares functiones paroeciales cum juribus personalibus et muneribus.



Parochus conficit et asservat libros paroeciales; constituit Consilium pastorale si opportunum sit et Consilium a rebus oeconomicis in propria paroecia tenet.

Particulatim parochus functiones quae sequuntur curat: administratio baptismi; administratio confirmationis iis qui in periculo mortis versantur; administratio viatici necnon unctionis infirmorum; assistentia matrimonii et benedictio nuptiarum; persolutio funerum; ductus processionum extra Ecclesiam; benedictiones solemnes; celebratio eucharistica solemnior diebus dominicis et festis de praecepto.

Munus parochi cessat morte, translatione, amotione iusta causa, lapsu temporis et renuntiatione. Praeterea, expleto septuagesimo quinto aetatis anno, parochus rogatur ut renuntiationem ab officio exhibeat, sed in casu providendum est congruae renuntiantis sustentationi.

Sacerdotes qui vices agunt alicuius parochi aut ipsum adiuvant in exercitio curae animarum vocantur Vicarii paroeciales.

Eorum obligationes et jura definiuntur canonibus, litteris dioecesanis et mandato parochi.

Paroecia vacante aut parochi impedito, Episcopus dioecesanus quam primum sacerdotem deputat, qui parochi vicem supplet et administratoris paroecialis nomen sumit.

ANNOTATIO: In novo Codice disciplina quoad Parochi functionem et genus Vicarii paroecialis sublata est. Parochus commode amoveri potest et ab officio renuntiare debet expleto certae aetatis anno. In paroecia Consilium a rebus oeconomicis habeatur et arbitrio Consilium pastorale. Demum antiquam terminologiam singulorum vicariorum paroecialium Codex non servavit.

### *De Vicariis foraneis (553-555)*

Territorium dioecesis in districtus pluribus paroeciis constantes Episcopus distribuere tenetur.

Sacerdos qui praedicto districtui seu vicariatui praeficitur Vicarius foraneus dicitur.

Jus designandi Vicarium foraneum pertinet ad Episcopum nisi aliud jure particulari statuatur, auditis sacerdotibus qui in vicariatu ministerium exercent.

Praecipua jura et officia Vicarii foranei sunt: inspectio et vigilia, visitatio et ratio Episcopo reddenda, cura parochi infirmi et parociae vacantis, conferentiae ad casus resolvendos.

Vicarius foraneus ad certum tempus nominatur et ad nutum Episcopi amoveri potest iusta causa.

Vicarius foraneus etiam alio nomine vocatur, scilicet decanus vel archipresbyter.

### *De ecclesiarum Rectoribus (556-563)*

Nomine rectoris venit sacerdos cui cura demandatur alicuius ecclesiae quae nec parochialis sit nec capitularis nec adnexa domui communitatis religiosae aut societatis vitae apostolicae.

Eius nominatio vel approbatio libere Episcopo loci competit; si autem jus eligendi aut praesentandi alicui legitime competat, Episcopus rectorem confirmat vel instituit.

Rectores functiones parochiales de quo in canone 530 non possunt in ecclesia commissa peragere nisi licentia vel consensu parochi.

Ad nutum ex qualibet iusta causa removeri possunt ab Episcopo proprio.

### *De Cappellanis (564-572)*

Sacerdotes inservientes ecclesiis legitimae associationis religiosae vel laicae necnon suspicientes ordinariam parochorum curam exsulum, profugorum, nomadum, navigantium, militum infirmorumque nosocomio receptorum, cappellani vocantur et omnibus facultatibus quas cura pastoralis requirit gaudent.

Sacerdotes cappellani quoque in valetudinariis, carceribus et itineribus maritimis adsunt.

Nisi jure aliud caveatur aut cuidam privilegium competat, Episcopo loci pertinet cappellanum nominare, instituere aut confirmare.

Cappellanus in exercitio muneris servare debet debitam coniunctionem cum parochio.

Ex iusta causa Episcopus loci ab officio cappellanum amovere potest, sed – si de religioso agatur vel ab aliis praesentatus fuerit – primum Superiorem moneat, non requisito eiusdem consensu; item quoad cappellanum praesentatum.